

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5510

Auteur(s) : Coutances (official)

Bénéficiaire(s) : Julien de Zancate, Coutances (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1297, 31 mai

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Pierre Peton et sa femme Emma vendent à Julien de Zancate, chanoine de Coutances tous leurs biens meubles et immeubles, situés sur la paroisse de Cambernon, et venant de la dot d'Emma. Ils devront également garder le manoir du chanoine à Cambernon. En échange, Julien de Zancate s'engage à les entretenir en leur versant chaque jour dix-huit deniers tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 322, p. 461-463.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris, officialis Constanciensis, salutem in Domino. Noveritis quod, presentes in jure coram nobis Petrus Peton et Emma ejus uxor, cum auctoritate ipsius Petri ad hoc eidem uxori prestita, coram [nobis], de parrochia de Chambernon, recognoverunt spontanee se donasse et concessisse et ad finem dimisisse pro sua communi utilitate viro venerabili Juliano de Zancato, canonico Constanciensi, omnia bona immobilia ad eosdem conjuges, ratione dicte uxoris, pertinencia, sita in parrochia predicta, cum omnibus bonis mobilibus que habebant et habent iidem conjuges et que pertinent ad eosdem, pro inveniendo et ministrando seu ministrari ac inveniri faciendo dictis conjugibus, juxta eorum statum, mansionem, victum, vestitum, quamdiu vixerint et alia necessaria competenter. Acto et convento quod iidem conjuges custodient manerium quod habet idem canonicus in parrochia de Chambernon et deservient ibi faciendo operas suas bene ac fideliter, tanquam diligentes patres familias pro utilitate cano[ici], quod si dictus canonicus mallet, eosdem conjuges habitare et manere extra manerium predictum ; idem canonicus teneretur dare et solvere memoratis conjugibus pro suis necessariis decem octo denarios tur. seu monete cursualis videlicet qualibet die, ipsique conjuges minimas operas, ut premittitur, exercerent, et quod si alterum conjugum premori contigeret, alter qui superviveret percipiet et haberet in solidum unaquaque die a dicto canonico seu ab alio qui jus aliquod seu causam haberet ratione dicti canonici in premissis decem octo denarios supradictos et unacum hiis tenetur idem canonicus solvere ac reddere contenta in testamento et dispositionibus ab eisdem conjugibus jamfactis et in scriptis redactis, quibus littere nostre curie sunt annexe, de voluntate conjugum eorumdem, prout in annexa hujus plenius continetur, et ordinationes ac dispositiones supradictas executioni bene ac fideliter demandare, prout conventum inter partes easdem extitit coram nobis ; prefatusque J[ulianus] de Zancato et quilibet alius qui jus et causam habebit ratione ipsius canonici in immobilibus supradictis tenebunt, habebunt ac in perpetuum possidebunt immobilia hujus libere et quiete, cum omni jure quod dicti conjuges et unusquisque habebant ibidem et ad ipsos pertinebat et pertinere poterat et debebat, sine reclamacione et contradicione aliqua dictorum conjugum heredumque suorum super hiis decetero faciendis,

salvo tamen jure domini capitalis ; et tenentur dicti conjuges ut promiserunt, videlicet eorum quilibet in solidum donationem, concessionem ac dimissionem supradictam prefato J[uliano] de Zancato et cuilibet alii qui jus ibidem habuerit ratione ipsius J[uliani] garantizare et defendere integre contra omnes et alibi excambiare ad usus et consuetudines Normannie, si forte garantizare non possent, ipsumque Julianum de Zancato et quemlibet alium qui jus aliquod seu causam ratione ipsius J[uliani] ibidem habuerit idempnes super hiis modis omnibus observare, pena centum librarum tur. super hoc apposita, solvenda a dictis conjugibus, videlicet ab unoquoque ipsorum in solidum prefato Juliano et cuilibet alii suo tempore qui eidem J[uliano] successerit in premissis, si dicti conjuges vel eorum alter deficerent in premissis vel in aliquo premissorum, ita quod dicta pena exacta et soluta quociens eam committi contingeret tenerentur ; nichilominus iidem conjuges premissa facere et implere se quemlibet in solidum heredesque suos et bona sua omnia, mobilia et immobilia, presenciam et futura, dicto Juliano propter hoc efficaciter obligando ; ac in eadem juris instancia presens, Petrus de Spina, primogenitus prefati P[etri] Peton, confessus est spontanee se ratas et gratas habuisse et habere donationem, concessionem ac dimissionem supradictam ; et promisit se nichil petiturum seu reclamaturum decetero in eisdem, et quod promittet idem P[etrus] de Spina, filius dicte Emme, prefatum Julianum et quemlibet alium qui jus seu causam ratione ipsius Juliani habuerit immobilibus supradictis tenere eadem pacifice ac possidere absque impedimento et contradictione ab eodem P[etro] de Spina super hoc in posterum faciendo de premissis omnibus et singulis tenendis, faciendis fideliter, et implendis, et de non veniendo contra juramento ab unoquoque dictorum P[etri] Peton, P[etri] de Spina et Emme, et specialiter ab eadem Emma conquestu dotis, doerii seu maritagii impediti vel incompati, aut alia de causa seu ratione prestito corporaliter coram nobis ; idemque P[etrus] Peton, P[etrus] de Spina et Emma de premissis, ut premittitur, faciendis fideliter et implendis a nobis moniti viva voce voluerunt et concesserunt se absque alia monitione a nobis excommunicari et tanquam excommunicatos et perjuros vitari et puniri, sibique in foro quolibet omnem audientiam denegari, si ipsi vel eorum aliquis contra premissa venerint vel fecerint, seu venire vel facere contenderint, per se vel alias in futurum ; renunciaveruntque super hiis prefati conjuges et P[etrus] de Spina exceptioni doli mali, fori falsi, cause non secute, circumventioni et deceptioni cujuslibet, privilegiis cruce signati indultis ac indulgendis, et specialiter iidem conjuges constitutioni duorum reorum debendi et promittendi ; dictaque Emma inde cercio rata juris quod inhibet res alienari, beneficio senatus consulti Velleiani et aliis universis ; et nos eosdem conjuges dictumque P[etrum] de Spina volentes et consencientes ad premissa omnia et singula tenenda, facienda fideliter, et implenda, prout superius sunt expressa, prefato J[uliano] de Zancato et illis quorum interest et interesse potest ratione ipsius Juliani condempnamus. In cujus rei testimonium, sigillum curie Constanciensis unacum sigillis dictorum conjugum presentibus est appensum. Actum et datum Constanciis, anno Domini M° CC° nonagesimo septimo, die veneris ante festum Penthecostes. Qua die dictos conjuges et P[etrum] de Spina monuimus ut prefertur. Prestitit idem P[etrus] Peton prefate Emme ejus uxori auctoritatem ad premissa antequam ex eis ageretur aliquid coram nobis ; eademque die prefatus canonicus, se jurisdictioni nostre spontanee supponens, promisit se ministraturum dictis conjugibus eorum necessaria, ut prefertur. Actum ut supra, de consensu parcium.